

Albert Hein Johann Friedrich Chemnitz von

## **Disputatio luridica de Tutelis**

Rostochi[i]: Pedanus, 1634

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73164087X>

Druck Freier  Zugang



Schrittmassnahmen

A. Klein (J. F. Chemnitz) /a

R. U. in 1634.







49

DISPUTATIO JURIDICA  
de  
**TUTELIS.**

*Quam*  
Divinâ favente clementiâ,  
Permissu ac consensu amplissimæ Fa-  
cultatis Juridicæ in Academiâ Rosto-  
chensi,

*P R Æ S I D E*

*Viro Consultissimo ac Excellentissimo*  
DNO. ALBERTO Hein / U. J. D.  
ac Historiarum Professore meritissimo, Cognato,  
Præceptore ac Hospite multis nominibus co-  
lendo,

*Publicè examinandam proponit*

**Johan Friederich Ghemnitz** Sterin. Pom;

*In auditorio majori horis matutinis*  
*die 6. Decembr.*

---

**ROSTOCHI,**  
Literis JOACHIMI PEDANI Acad. Typog.  
ANNO M. DC. XXXIV.

1634





ILLUSTRISSIMIS & CELSIS-  
SIMIS PRINCIPIBUS AC  
DOMINIS,

Dn. CHRISTIANO AUGUSTO *Frv. Germano, Comiti-  
tib. Palatinis ad Rhe-  
num, Ducibus Bava-  
ria, nec non Comitibus  
in Veldenz &  
Spanheimb.*

&

Dn. PHILIPPO LUDOVICO

UT ET

Dn. PHILIPPO *Heredibus Norvegia, Ducibus  
Schleswig, Holsatia, Stormaria  
& Dithmarsie, Comitibus in  
Oldenburg & Delmens-  
horst.*

&

Dn. FRANCISCO PHILIPPO

Principppp. ac Dnnnn. suis clemen-  
tissimis

*hujus juridici exercitii oblatione se suaq;  
Audia humillimè commendat*



Johan Friederich Ghemntz  
A. & R.





## THESIS I.

**P**ersonæ sunt vel sui juris, vel alieno juri subjectæ: Quæ sui juris sunt, vel in tutelâ, vel in curatione sunt, vel neutro jure tenentur. De illis cum sim tractaturus, definitionem nominis præmitto.

### II.

Tutelæ autem vocabulum à tuendo dicitur, & tutores ex re ipsa nomen acceperunt, quod pupillum ejusq; patrimonium tueri debent. Itaq; appellantur tutores quasi tutores atq; defensores.

### III.

Tutelæ nomen sumitur vel latè, vel strictè, vel strictissimè. Latè notat quamlibet defensionem & conservationem. Strictè comprehendit in se curam. Strictissimè tutelam in specie acceptam significat, de quâ nobis hic sermo.

### IV.

Est vero tutela vis & potestas in capite libero ad tuendum eum, qui propter ætatem suam spontè se defendere nequit, jure civili data & permissa.



## V.

Tutela triplex est, testamentaria, legitima, & dativa.

## VI.

Testamentaria tutela est, quando pater in testamento suo liberis suis impuberibus tutores constituit.

## VII.

Legitima tutela est, quando non existente testamentaria, lex proximis pupilli successoribus masculis tutelam defert.

## VIII.

Legitima tutela quadruplex est. Prima vocatur agnatorum, & defertur agnatis secundum ordinem, quo ad hereditatem vocantur, ita ut proximus tutelam nanciscatur; quod si plures eodem gradu sint, omnes pariter ad tutelam vocantur. Licet autem veteri jure cognati removebantur, tamen differentia inter agnatos, & cognatos sublata, quemadmodum hereditas, ita & tutela agnatione non inspecta, proximis defertur. De jure vero Saxonum in tutela gerenda cognatis agnatis etiamnum præferuntur.

## IX.

Secunda patronorum est, quæ defertur patronis in liberos impuberes. Hæc & ipsa legitima vocatur, non quod nominatim in lege 12. tabularum de ea caveatur, sed quia perinde recepta est per interpretationem, ac si verbis legis introducta esset.

## X.

Tertia est parentum, & defertur patri, qui, si filium aut filiam, nepotem vel neptem, vel deinceps impuberes emancipaverit, legitimus eorum tutor erit. Et hæc voca-



vocatur legitima propter identitatem rationis, ad exē-  
plum legitimæ patronorum tutelæ.

XI.

Quarta vocatur fiduciaria, & competit fratribus in  
fratres & sorores, aut etiam in proprios liberos à defun-  
cto emancipatos. Nam si pater filiū vel filiam vel deinceps  
impuberes manumiserit, eo defuncto, liberi ejus  
virilis sexus si perfectæ sint ætatis, fiduciarij tutores fi-  
liorum suorum vel fratris vel sororis vel cæterorum  
efficiuntur.

XII.

His Jure novissimo accessit & alia, quæ defertur  
matri & aviæ. Et licet regulariter mulieres à tutela re-  
pellantur, tamen excipiuntur ab hac regula mater & a-  
via, intantum, ut tutoribus legitimis & dativis præpo-  
nantur, solis testamentarijs eas præcedentibus. Si au-  
tem hanc tutelam in se recipere volunt, cogi enim non  
debent, sed libera in tutelam voluntate descendere,  
prius actis fateri debent se ad secundas nuptias non vel-  
le venire, & Senatusconsulto Vellejano renunciare.  
Nec enim hodie sacramentum exigitur, sed contractis  
nuptijs expelli eas à tutela convenit, cum illæ plerumq;  
novis maritis non solum res filiorum sed & vitam  
addicant.

XIII.

Tutela dativa est, cum deficiente testamentaria,  
& legitima tutela magistratus impuberi tutores con-  
stituit.

XIV.

Causa efficiens tutelarum remota est Jus civile. :  
A 3 Propin-



Propinqua ex divisione tutelæ est vel testator, vel lex,  
vel magistratus.

XV.

Testamentariæ tutelæ causa efficiens est testator. I. Pater, qui liberis suis impuberibus in potestate existentibus testamento tutores dat. II. Avus, qui filium habet in potestate & ex eo nepotem: Is, si nepoti tutorem dederit, ita rectè dedisse videtur, si nepos post mortem ejus in potestate patris esse desierit. III. Mater & avia, quæ licet liberos non habeant in potestate, testamento tamen tutores dare possunt, dum tamen liberos heredes instituunt: Quod si non fecerint, poterit tamen eum magistratus diligenti prius adhibita inquisitione confirmare. IV. Extraneus impuberi testamento tutorem dare potest, si eum heredem instituerit, & pupillus extra eam hereditatem nihil in bonis habeat, cum inquisitione tamen hic ipse confirmandus est. Cum enim prætor semper pupillorū utilitatem sequi debeat, non male dicitur judicium ejus sequendum esse, qui & personam ejus, quem tutorem esse voluerit, noverit, & impuberem ita dilexerit, ut eum heredem instituerit.

XVI.

Legitimæ tutelæ causa efficiens est lex, quæ legitimam tutelam omnibus illis, capacibus tamen, defert, quos ad legitimam hereditatem admittit: Idq; summa providentia, ut qui sperarent hanc successionem, iidem tuerentur bona, ne dilapidarentur, ac quò hereditas, eò & tutela perveniret.

XVII.

Datiæ tutelæ causa efficiens est magistrat<sup>us</sup>, cui tutoris



toris dandi potestas est. Possunt autem tutores dare.  
I. Imperator seu Princeps. II. Magistratus illi, quibus  
tutoris dandi potestas specialiter est concessa, ut sunt  
Consules, Prætor urbanus & major pars tribunorum  
plebis, Præsides provinciarum, Prætores soli, Præfectus  
urbi certo casu, & defensores civitatum, ut & aliæ per-  
sonæ publicæ vel magistratus, & Juridicus Alexandrinæ  
civitatis una cum religiosissimo antistite.

XVIII.

Materia sunt tam tutorum quam pupillorum per-  
sonæ. Possunt autem tutores esse omnes, qui non ex-  
pressa lege reperiuntur prohibiti.

XIX.

Prohibentur autem tutores esse primò ratione se-  
xus. Fœminæ, quia id virile & ultra sexum fœminæ in-  
firmitatis officium est, & munus publicum, fœminæ  
autem ab omnibus civilibus & publicis officijs remo-  
ventur, excepta tamen filiorum suorum cæterorumq;  
descendentium tutelâ, ut supra diximus.

XX.

Secundo ratione ætatis prohibentur minores 25.  
annis, quia non sunt perfectæ adhuc ætatis. Imo nec  
adspirare debent ad tutelam, cum incivile sit eos, qui  
alieno auxilio in rebus suis egere noscuntur, & ab aliis  
reguntur, aliorum tutelam tubire: nec ferendum est  
eundem esse tutorem, & sub tutela constitui. Si ta-  
men in testamento datus fuerit tutor, valet illa datio, &  
tutor tunc erit, cum major 25. annis fuerit factus, & in-  
terim curator ei adjungendus est.

XXI.

Tertiò ratione status prohibentur servi. Est enim  
tutela



tutela potestas in capite libero, & Jure civili permiffa, servi autem jure civili pro nullis habentur, mortuisq; comparantur. In testamento tamen servus rectè tutor dari potest I. Proprius, si ipsi simul à testatore libertas sit relicta: Imo etiam sine libertate tutor datus, tacitè directam libertatem accepiffè videtur, & per hoc rectè tutor est, concessò enim uno, ea quoq; concessa videntur, sine quibus quis concessum consequi nequit. Hoc autem obtinet si testator sciverit esse servum, quòd si per errorem quasi liberum eum tutorem dederit, nec liber nec tutor erit, cum errantis testatoris nullus sit consensus & voluntas. Item si sub conditione, cum liber erit, servum proprium dederit, inutilis datio est, quia si liberum servum esse voluiffet, manumittere potuiffet, aut præfenti die, aut in diem, aut sub conditione; & ex ea datione in arbitrium alterius collata testatori nec animum dandæ libertatis fuisse colligitur. II. Servus alienus testamento tutor dari potest sub hac conditione cum liber erit, pure inutiliter datur: Si tamen purè datus fuerit, semper hæc videtur inesse conditio cum liber erit, & heres eum cogitur redimere & manumittere,

## XXII.

Quarto, ratione civitatis & domicilij prohibentur I. Deportati, quia tutela est juris civilis, deportati autem ea, quæ sunt juris civilis, amittunt. II. Banniti, qui deportatis æquiparantur, cum & ij civitatem amittant. III. Excommunicati, hi enim ab hominum communiõne removentur. IV. Peregrini, qui alterius jurisdictiõni sunt subjecti: Si tamen desint in civitate, ex qua pupilli oriundi sunt, qui idonei videantur esse tutores, officium



ficium est magistratus inquirere ex vicinis civitatibus honestissimum quemq;, & nomina præfidi provincie mittere. ut is eum det tutorem, non vero ipsos arbitrium dandi sibi vindicare.

XXIII.

Quintò ob morbum, propter quem ad tutelam minus idonei sunt, prohibentur I. Furiosus, quia nulla eius voluntas & consensus, nec intelligit quod agit, ideoq; nec administrare debet. Si tamen testamento tutor datus fuerit, valet illa datio, & curator interim in ejus locum dabitur, donec compos mentis fuerit factus. Idem de mente capto, & fatuo dicendum. II. Mutus, quia loqui & auctoritatem præbere non potest. III. Surdus, quia tutor non saltem loqui, sed & audire debet. Hinc apparet multo magis eum esse arcendum, qui & mutus & surdus simul est. IV. Cæcus utroq; lumine orbatus: Is enim curator haberi non debet, multo minus tutor. V. Perpetuo morbo laborans, propter quem rebus suis superesse non potest.

XXIV.

Sexto ratione perversorum morum prohibentur Prodigii, qui neq; tempus neq; finem expensarum habent, sed bona sua dilacerando & dissipando profundunt, quiq; ideo libidinum omniumq; vitiorum servi vocantur: Ji enim similes sunt furiosis, & ut hos sanans, ita illos sani mores destituunt.

XXV.

Septimò ratione obligationis prohibentur creditores vel debitores pupilli, idq; ideo ne tales tutores aut cautionem furentur, aut instrumenta vel probationes minorum intervertant & corrumpant, tutelaq; fiat

B

eis



eis rerum interitus propriarum. Hoc tamen fallit I. in matre & avia. II. in testamentario, cujus fidem testator approbavit. III. Si debitum sit modicum.

### XXVI.

Octavo, ratione prohibitionis à parentibus factæ. Nec enim possunt esse tutores, qui à parentibus tutores esse prohibentur.

### XXVII.

Nonò, ratione officij prohibentur I. Episcopi & monachi etiam volentes: Nemo enim Deo militans se negotijs secularibus implicare debet. II. Milites. Illi enim armis non privatis negotijs occupentur, ut numeris & signis suis jugiter inhærentes, re republ: à quâ aluntur, ab omni bellorum necessitate defendant.

### XXVIII.

Sequitur persona pupilli. Est vero pupillus, qui cum impubes est, in potestate patris esse desijt aut morte, aut emancipatione. In illo requiritur I. Ut sit liber & sui juris: Interdum tamen & servus tutorem habere potest, si spem habeat libertatis: Ut & filiusfam.: licet sit in patriâ potestate. Nam si pater ex homine frugi sit factus vel demens, vel furiosus, vel prodigus, & patria potestate ad corrumpendi & effundendi patrimonij licentiam abutatur. Vel si hereditate filio delata pater noluerit res filij gubernare, propter causæ necessitatem, poterit à magistratu curatorem hereditati petere. II. Ut impubes sit masculus minor 14. foemina 12. annis. Omnes igitur pupilli, sive masculi sive foeminæ, habent tutores, nec dignitas illorum consideratur, cum & illustribus personis tutores dentur. Sic & Electorum filijs.



filijs impuberibus tutores dantur. An vero hinc  
tum à legedentur, an a testatore etiam dari possint quæ-  
stionis est vexatissimæ, nos etiam testamento rectè eos  
dari putamus.

XXIX.

In tēstamentaria vero tutela notandum, quod te-  
stator possit testamento tutores dare. I. Liberis suis  
impuberibus, quos in potestate habet. II. Nepotibus  
ex filio, modo post mortem avi non sint in potestatem  
patris sui recaturi, cum nemo queat tutorem dare cui-  
quam, nisi ei quem in suis heredibus, cū moritur habuit,  
habiturusve esset, si vixisset. Non vero nepotib9 ex filia  
descendentibus, vel ex filio emancipato natis, cum filia  
sit suæ familiæ & caput & finis, ideoq; nec filij ex ea na-  
ti in potestate avi materni sed patris sui sunt. III. Post-  
humis, modo in ea causa sint, ut si vivo testatore nasce-  
rentur, & sui heredes, & in potestate eorum futuri sint.  
Illi tamen tunc erunt tutores, quando posthumi nati  
sunt non ante. IV. Filio emancipato, quod cum de  
rigore juris non valeat, cum emancipatus non sit in  
potestate dantis, tamen omnino à iudice confirmari  
debent etiam sine inquisitione, & hoc fit ob præsum-  
ptionem paternæ providentiæ, cum plerumq; pietas  
paterni nominis salubre consilium pro liberis capiat. V.  
Exheredato, cum tutor non rei vel causæ, sed personæ  
detur. VI. Filio naturali tantum, si modo quidei in  
testamento relictum sit, alias frustra datur, nec sine in-  
quisitione confirmatur.

XXX.

Forma tutelæ triplex est, vel forma dandæ, vel su-  
scipiendæ, vel gerendæ.

B 2

Forma



### XXXI.

Forma dandæ testamentariæ tutelæ consistit in eo, quod I. tutor non modo pure, sed & ad certum tempus, ex certo tempore vel die, sub conditione, ad conditionem, imo non modo post, sed & ante heredis institutionem. II. Non tantum iusto testamento, sed etiam codicillis & testamento imperfecto tutores dantur, qui tamen à iudice confirmari debent. Unde paucis hic de confirmatione tutorum agendum.

### XXXII.

In confirmatione tutorum tria veniunt observanda. I. Qui tutores confirmari debeant. II. Qui confirmant. III. Quomodo confirmentur.

### XXXIII.

Confirmari debent tutores. I. Qui dantur à patre, filio naturali, vel emancipato. II. A matre dati. III. Ab avo materno nepotibus ex filiâ, à patruo fratris filio, à patrono liberto dati. IV. Si extraneus alicui instituto tutorem dederit. V. Si tutores non rectè dati sint, ut in codicillis testamento non confirmatis, vel testamento imperfecto, vel si incodicillis ab intestato dati sint.

### XXXIV.

Confirmant autem tutores non jure datos. I. Iudex competens. II. Magistratus inferiores ex jussu prætoris. Hodie ad competentes magistratus ut jus dandi, ita & jus confirmandi tutores pertinet.

### XXXV.

Sequitur quomodo tutores confirmentur. Confirmantur autem I. Per magistratus sententiam, aut decretum legitime interpositum.

Confir-



### XXXVI.

Confirmantur II. Vel sine, vel cum inquisitione. Sine inquisitione confirmantur, qui emancipato, vel existenti in potestate, sed in testamento imperfecto vel injusto dantur. Aliquando tamen prætor tutorem à patre datum ex justa causa non confirmat. I. Si fortè ex amico inimicus, vel ex divite pauperior factus sit tutor. II. Si cum fisco contractum aliquem damnosum miscuerit. III. Si morum ante celata & ignorata improbitas emerferit, quo casu minus rectè tutor in testamento datus non solum non confirmari, sed etiam semel approbatus reprobari debet.

### XXXVII.

Cum inquisitione confirmandi sunt, si pater filio naturali, cui nihil testamento reliquit, tutorem dederit; si mater liberis, patronus liberris tutores dederit: Tunc enim prætor defuncti voluntatem sequitur, si fides inquisitioni congruat. Idem in patrono & extraneo obtinet.

### XXXVIII.

Forma dandæ legitimæ tutelæ in eo præcipuè consistit, quod testamentariam proximè subsequatur, præcedat dativam: quamdiu enim testamentaria spectatur, tamdiu cessat legitima. Ut autem locus huic sit, requiritur intestatum aliquem decessisse: Intestatus vero non tantum is videtur, qui testamentum non fecit, sed & is, qui testamento liberis suis tutores non dedit: quantum enim ad tutelam pertinet intestatus est. Idem si tutor testamento datus ad huc filio impubere manente decesserit.



### XXXIX.

In forma dativæ tutelæ notandum, quod tutor tantum purè à magistratu dari possit, non sub conditione, cum dativa tutela sit actus legitimus, qui in totum vitiat per temporis vel conditionis adjectionem: item quod legitimæ postponatur. Interdum tamen dativa præponitur. I. Si excusatus sit tutor testamentarius. II. Si testamentarius ut suspectus remotus sit. III. Si testamentarius, qui tutor extitit, sit defunctus. IV. Si testamentarius sit in perpetuum relegatus. V. Si testamento sit tutor datus sub conditione vel ex certo die, pendente conditione vel die interim alius tutor datur: Item si purè datur, quandiu ex testamento nemo heres existit, à magistratu tutor alius datur. VI. Si testamentarius captus sit ab hostibus. VII. Si testamento inutiliter dati sint, priusquam confirmentur, possunt à magistratu tutores dari, neq; possunt eis tutoribus gestajure revocari. VIII. Si tutor testamentarius à sententia judicis ipsius excusationes reiicientes appellet, alius tutor dandus, qui tutelâ fungatur.

### XL.

Hactenus de danda, nunc de suscipienda dicendum est, ad quam requiruntur quatuor. I. Legitima magistratui competenti facta intimatio, quam subsequitur decretum magistratus, juramento insuper accedente se omnia ex fide gesturum. Hodie tamen raro imponitur tutori juramentum corporale, sed admonetur juramenti, quod præstitit magistratui suo.

### XLI.

Secundo requiritur confectio inventarij, quo omnia pupilli bona perscribuntur: nec audeat tutor res pupilla-



pupillares aliter attingere, nisi prius inventario secundum morem solitum facto, nisi testatores, qui substantiam transmittunt, specialiter inventarium conscribi vetuerint. Si tamen aliter judici videatur, & tutorem fraudulentum & pessimorum morum esse suspicatus sit, nihilominus prætor inventarij confectionem potest exigere: Quod si inventarium non fecerit, dolo fecisse videtur, & tenetur in id quod interest, quod jurejurando in litem æstimatur.

#### XLII.

Tertio requiritur promissio defensionis. Omnes enim tutores non alias creantur, nisi prius cum alijs solennibus verbis, quæ pro gubernatione rerum tam ingestis, quam in cautionibus ab his conscribuntur, & hoc specialiter expresserint, quod omnimodo sine dilatione ulla defensionem pro pupillo subire velint.

#### XLIII.

Quarto necessaria est cautio, qua tutores pupillis satisfacere tenentur, ne bona & negotia eorum ab illis consumantur vel diminuuntur. Satisfacere autem dicitur tutor pupillo, quando pro bonis ipsius ita cavet, ut illum hoc nomine securum faciat datis fidejussoribus unde neq; pignoribus quis, neq; pecuniæ vel auri vel argenti depositione in vicem satisfactionis fungitur. Hæc autem cautio seu stipulatio rem pupilli salvam fore, continet omne id, quod in tutelæ judicium venit, & præter hanc pro officio administrationis bona tutoris tanquam pignoris titulo tacite obligata pupilli sibi vindicare minime prohibentur. Licet autem tutores testamento dati jure civili satisfacere non cogentur ob eorum fidem & diligentiam à testatore approbatam, & testi.



& testimonium patris pro satisfactione sufficiens: Ut & ex inquisitione dati tutores satisfactione non onerarentur, quia idonei electi essent, hoc tamen privilegium nostro tempore est abrogatum, & omnes indistinctè hodie satisfacere tenentur.

XLIV.

Sequitur nunc de tutela gerenda. Gestio autem tutelæ, cum circa personam, tum circa bona pupilli versatur. In persona I. consideratur educatio, II. Auctoritas tutoris pupillo præstanda.

X L V.

In educatione præcipuè attendendi loc<sup>o</sup> & modus. Locum quod attinet, non is est in potestate tutoris, sed testamentum defuncti inspiciendum est, annon certum locum constituerit, ubi filius impubes debeat educari, quod si fecerit, patris voluntatem sequi debet prætor. Nihil enim tam conveniens est naturali æquitati, quam voluntatem testatoris pupillum apud amicum educari volentis ratam haberi. Nonnunquam tamen à voluntate testatoris recedit Prætor, & propinquis pupilli convocatis ijq; præsentibus cognoscit, utrum patris voluntas servanda sit. Est enim ipsius officium providere, ut sine ulla maligna suspitione pupillus alatur & educetur. Si vero testator de illo nihil testamento expresserit, competens iudex adeundus est, qui æstimare debet, an pupillus apud matrem (cui tamen præ cæteris educatio committenda est, si vitricum non induxerit) uel apud affines, cognatos, aut alibi educandus sit. Eam tamen curam adhibere debet prætor, ne educetur apud eos, qui propter successionis spem vitæ aut etiam pudicitia puberis insidiari possint.

Modum



#### XLVI.

Modum educationis quod concernit, consistit is præcipuè in alimentorum præstatione. Tutor enim, suscepta tutela magistratum adire debet, & petere, ut pro facultatibus pupillo alimentâ decernat. Alimenta autem ita moderatè statuere debet, ut non universus patrimonij redditus consumatur, sed semper aliquid ex redditu supersit. Quod si tutor non petierit pupillo alimenta à judice decerni, nec à patre testamento decreta sint, nihilominus tutor judicio tutelæ imputare potest eos sumptus, quos ex arbitrio judicis facere debuit, non quos fecit.

#### XLVII.

Sequitur autoritas tutoris, in qua considerantur. I. In quibus causis necessaria sit. II. Quomodo interponatur.

#### XLVIII.

Autoritas tutoris necessaria est, ubi damno pupillum affici suspicio est: ubi vero commodum absq; controversia sentit, non attenditur. Meliorem enim conditionem suam licet facere pupillis etiam sine tutoris autoritate, deteriore non aliter quam cum ejus autoritate. Unde in his casibus, ex quibus mutæ obligationes nascuntur, ut in emptionibus, venditionibus, locationibus, conductionibus & similibus si tutoris autoritas non interveniat, ipsi quidem, qui cum his contrahunt, obligantur, at invicem pupilli non obligantur.

#### XLIX.

Ubi vero pupilli incommodum subesse potest, vel  
C an u-



an utilitatem vel damnum adferat, incertum est, tunc  
auctoritas tutoris necessario requiritur: Sic pupillus  
sine tutoris auctoritate solvere nequit, nec quod solvit  
accipientis fit, cum nullius rei alienatio ei sine tutoris  
auctoritate concessa sit. Nec adire hereditatem sine,  
tutoris auctoritate potest, licet lucrosa sit, nec ullum  
damnum habeat. Multa enim etiam circa lucrosam  
hereditatem accidere possunt, propter quæ pupillus  
non adire debeat: Accedit quod adeundo heredita-  
tem creditoribus & legatarijs obligetur, obligari au-  
tem pupillum sine tutoris auctoritate, est contra juris  
rationem.

L.

Auctoritatem vero suam interponit tutor præsens  
in ipso negotio, si hoc pupillo prodesse existimavit,  
post tempus autem vel per epistolam vel nuncium in-  
terposita auctoritas nihil agit. Requiritur autem ad  
auctoritatem præsentia, & sine mora facta interpositio,  
tanquam legitima forma, qua deficiente & ipsa deficit:  
Paria enim sunt, non fieri, & non legitime fieri. Sed si  
tutor nolit auctor fieri, per iudicem cogi non poterit,  
licet expediat pupillo auctoritatem eum præstare,  
tutelæ enim iudicio hanc jacturam consequitur, nisi a-  
ctus illi evidentissime utilis sit; melius enim est intacta  
jura servari, quam post vulneratam causam remedium  
quærere. Purè vero interponenda est auctoritas non  
conditionaliter, licet contractus ipse cum pupillo sit  
conditionatus. Quod si horum quid negligatur, per-  
peram adhibetur tutoris auctoritas, idemq; est, ac si  
adhibita non fuisset.

Gestio



LI.

Gestio tutelæ, quæ circa bona pupilli versatur, consistit in administratione. Administrat autem vel unus, aut omnes simul. Unus administrationem suscipit vel voluntate testatoris, quem testator in testamento nominavit, & tunc standum est patris voluntati, qui filio recte prospexisse præsumitur: Vel ex consensu privato tutorum, cui illi administrationem tutelæ detulerint: Vel ex decreto prætoris, si inter se disenserint in eligendo tutores.

LII.

Omnes simul aut pro indiviso administrant tutelam paribus humeris sustinentes: aut diviso, idq; vel ex voluntate testatoris, vel iudicis arbitrio, vel mutuo inter se consensu. Licet enim certarum rerum vel causarum nullus ab initio tutor dari possit, attamen negotiorum administratio dividi potest inter eos.

LIII.

Administratio hæc est vel judicialis, vel extrajudicialis. Judicialis vel ad actionem movendam vel excipiendam refertur.

LIV.

Ad actionem movendam quod attinet, non denegatur tutoribus debitores pupilli ex persona sua prospectu officij sui in iudicium vocare, licet ipsi litis domini ante litis contestationem non sint, ideoq; anteam procuratorem suo nomine dare nequeant, sed pupillo procuratorem constituenti auctoritatem præbere possint: Et quamvis exstua sint chirographa, tamē adhuc ex inventario possunt debitores convenire, eosq; urgere vel ad solvendum pecuniam, vel ad novationem



tionem faciendam, alioquin negligentes & ipsi tenentur. Litem quoque ad executionem usque persequi tenentur tutor, alioqui si debitor solvendo esse desierit, post sententiam fraus & segnitia non exigenti tutori damnum dabit. Nihil autem interest utrum reales vel personales actiones sint, nam tutores utique etiam res pupillorum vindicare poterunt, & quascunque in rem actiones movere.

#### LV.

Hæc de actione movenda. Si vero ipsi pupillo intentetur, cum præcipuum tutoris officium sit, ne in defensum pupillum relinquat, iudicio pupillum defendere, & litem secundum leges instruere debet, quod si omiserit, non tantum tanquam suspectus removendus est cum infamia, sed etiam omne damnum, quod ex recusatione defensionis pupillus accepit, ex substantia sua refarcire cogendus. Si vero intra moras accipientis iudicij pupillus ad pubertatem pervenit, licet pro pupillo in iudicium vocatus solenniter caverit, non potest post pubertatem cogi ad suscipiendum iudicium: defensionem tamen causarum pupillarium adfistere eum oportet, si nondum administrationem ad curatores detulerit. Idem in secunda instantia observatur. Tutor enim appellare tenetur, sed post appellationem pupillo facto persequi appellationem non tenetur, cum eodem tamen moderamine.

#### LVI.

Non semper tamen tutor necesse habet litigare, sed cavere debet, ne calumniolas instituat actiones, alias ipsum condemnari oportet, ne sub prætextu nominis pupillorum propter similitates securè suas lites, quas  
velit,



velit, se exercere posse existimet. Quod si tutor supervacaneam litem instituat, & pupilli nomine à creditoribus conventus potius litigare malit, quam fidem agnoscere & solvere, tum ne honoraria quidem pupillo imputare, & actione tutelæ contraria recipere potest. Aliàs si defensionem præstiterit pupillo, etiamsi iudicio suscepto condemnatus sit, in eum tamen iudicati actio non datur, neq; pignora tutoris capienda sunt, maximè si ob infantiam vel absentiam pupilli author ei esse ad excipiendum iudicium non poterit sed ipsemet litem contestatus sit.

### L VII.

Videamus administrationem extrajudicialem, in qua tutor quantum ad providentiam pupillarem domini loco habetur. Debet ergo tutor tanquam bonus paterfam. administrationi ex bona fide incumbere & vacare, ut neq; utilia prætermittat, neq; inutilia admittat. Undè si prædia vel immobilia simul & pecuniæ sint in bonis pupilli, & ex immobilibus sufficiens redditus, pecunias vel reponere, vel in emptionem prædiorum idoneorum fertilium, levioribus tributis obnoxiorum, & quorum venditor idoneus & locuples est, collocare tenetur. Quod si redditus ex immobilibus nulli sint, sed omnis substantia mobilis sit, tunc illud solum mutare tutor cogitur, quantum ad dispensationem sufficiat adolescenti ejusq; rebus, quod vero plus est cautè reponat & reserret. Distrahere quoq; tenetur res eas, quæ servando servari non possunt, ut animalia, inutilia, vestes detritas, & res cæteras tempore perituras. Prædia vero rustica & urbana & alias maximi momenti res absq; decreto magistratus alienare non potest, nisi pater eas in testamento distrahi caverit.



Imprimis vero domum vendere non licet, in quâ deficit pater, minor crevit, & in qua majorum imagines aut videre non fixas, aut refultas satis est lugubre: Ut nec mancipia urbana, quæ totius suppellectilis notitiam gerunt.

LVIII.

Finis tutelæ est, ut pupillus paterno consilio & præsidio destitutus regatur & defendatur.

LIX.

Effectus tutelæ est obligatio mutua inter pupillum & tutorem, quæ duplex, altera qua pupillus tutori, altera qua tutor pupillo obligatur. Tutor autem, ex quo scit se tutorem datum, statim tenetur ut gerat, &, si cesset, suo periculo cessat, teneturq; pupillo de dolo lata & levi culpa.

LX.

Si plures tutores sint, qui tenentur ob malè administratam tutelam, variè à pupillo conveniuntur: Aut enim omnes nulla divisione facta administrant, & singuli tenentur in solidum, licentiamq; habet pupillus unum eorum eligere, à quo totum exigat. Aut unus eorum tutelam administrat, & hic eam solus suscipit, vel ex voluntate testatoris, vel ex decreto judicis, vel ex consensu privatorum. Si ex privatorum consensu unus administrat, qui se non immiscuerunt tutelæ, ex persona ejus, qui gessit & idoneus est, non onerantur, quia in committendo is præcipuè esse videtur, qui gessit, itaq; ante omnes meritò convenitur: Si qua vero sunt, quæ, cum geri debuerint, omissa sunt, latæ culpæ ratio omnes æqualiter tenet. Si vero unus administrat ex voluntate testatoris, vel decreto judicis, cæteri in  
subsi-



subsidium conveniuntur. Aut tutela est inter omnes  
divisa vel à testatore vel à iudice, & tunc unusquisq;  
pro sua tantum administratione tenetur. Si vero ipsi  
privatim inter se administrationem dividerint, non  
prohibetur pupillus unum ex ijs in solidum con-  
venire.

#### LXI.

In omnibus autem his casibus tutoribus competit.  
I. Beneficium ordinis sive excussionis, ut is primo con-  
veniatur & excutatur, qui gessit. II. Beneficium divi-  
sionis, ut omnibus solvendo existentibus, dividatur  
inter eos actio. III. Beneficium cedendarum actionum,  
ut pupillus teneatur tutori solidum solventi præstare  
adversus reliquos tutores actionem. IV. Beneficium  
utilis actionis, ut tutor etsi cessionem fieri à pupillo  
non petierit, utili actione adversus contutores uti possit

#### LXII.

Pupillus autem obligatur tutori, ut illa ei præstet,  
quæ propter tutelam absunt, & obligationes, quas tu-  
tor ejus nomine suscepit, in se transferat. Unde tutor  
potest repetere sumptus, quos bona fide litem movens  
fecit, licet succubuerit. Sufficit enim tutori bene & di-  
ligenter negotia gessisse, etsi eventum adversum ha-  
buit, quod gestum est. Si vero injustam litem moveat,  
aut mala fide sumptus faciat, hujusmodi non reputabun-  
tur: Ut nec illud in quo persequendo plus est detre-  
menti quam commodi.

#### LXIII.

Affinis tutelæ est cura. Nam quæ de tutoribus  
constituta sunt, eadem & in curatoribus obtinent, in  
quibusdam tamen differunt. I. Curatores principaliter  
bonis



bonis dantur: Tutores personis. II. Curatores dantur  
puberibus; Tutores impuberibus. III. Curatores no-  
lentibus non dantur, nisi ad litem & solutionem; Tu-  
tores invitis. IV. Curatores ad singula negotia dari pos-  
sunt; Tutores ad universum patrimonium. V. Curato-  
res tutorem habenti dantur; Tutores non, &c.

LXIV.

Aliquando tamen tutorem habenti tutor dari po-  
test. I. in locum furiosi, furdi & muti tutoris, II. Si quis  
reipubl: causa ab futuro sit ad tempus. III. Si tutor sit  
missus ad hostes quasi legatus, aut etiam receptus ab  
eis, aut transfugerit, tutor quidem manet, interim ta-  
men datur alius tutor. IV. Si pupilli bona in diversis re-  
gionibus sita sint ultra 100. lapidem, & tutor in loco  
domicilij se excuset, illarum rerum tutores dabunt in  
provincijs præfides, & tunc habenti tutorem tutor da-  
tur aliarum rerum non earundem.

LXV.

Contraria tutelæ sunt modi, quibus tutela aut sus-  
cipienda impeditur, aut suscepta finitur. Tutelam im-  
pedit suscipere excusatio, quæ est justæ causæ allegatio,  
propter quam quis tutelam deprecatur, & ejus onere se  
liberari petit. In hac consideranda sunt. I. Causæ quæ  
excusant. II. Modus proponendæ excusationis.

LXVI.

Excusationis causæ multæ sunt. Prima est nume-  
rus liberorum, ut quis habeat Romæ tres, in Italia qua-  
tuor, in provincijs quinque. Requiritur autem I. Ut  
sint naturales, adoptivi enim non profunt: Unde si  
quis ex his multis implicitus sit negotijs, non potest ob  
id onera reipubl: recusare, cum damnum, quod quisq;  
sua



sua culpa sentit, sibi non alijs imputare debeat. II. Ut sint legitimi, naturales enim tantum non profunt, cum optimum sit augeri rempubl: & hominibus multis legitime progenitis frequentari: alias parentes ex suo delicto privilegium consequerentur. III. Ut jam nati sint: Nam qui in ventre sunt, patri prodesse nequeunt, cum partus nondum editus homo esse non rectè dicatur. IV. Ut superstites sint, defuncti enim non profunt: Excipiuntur illi qui in acie amittuntur, hi enim, qui pro republ: ceciderunt, in perpetuum per gloriam vivere, intelliguntur. Non ergo requiritur, ut liberi in potestate sint, nam & emancipati excusant: Nec ut filij sint, nam & nepotes ex filio profunt, ut omnes in locum patris sui succedant.

#### LXVII.

Secunda causa est officium publicum, de quo hæc regula notanda. Quibus princeps rei alicujus curam injunxit, excusantur à Tutelâ, donec gerunt: Ut sunt I. Administratores rerum Fisci. II. Exactores tributorum. III. Qui potestatem aliquam habent, se excusare possunt, sed susceptam deserere nequeunt: propter magistratum verò, quem quis in municipio administraturus est, excusationem non habet. IV. Præfecti annonæ & vigilum, ut & mensores frumenti. V. Qui reipubl. causa absunt, scil. Romanæ, non municipii cujusdam: Ne c modò dum absunt, sed & dum itineri se præparant; paria enim sunt, esse factum, & proxime faciendum. Idem privilegium habent eorum, qui reipubl. causa absunt, comites, qui sunt intra statutum numerum; si verò antea susceperint tutelam, non deponunt: Interea tamen quam diu reipub. causa absunt, curator eorum loco datur, & reversi recipiunt onus tutelæ.

D

Ter-



LXVIII.

Tertio excusat à tutela lis, quam tutor cum pupillo habet. Si enim de omnib. bonis, vel maxima ejus parte, aut hereditate controversia inter eos orta sit, tutor se potest excusare, quia pupillo non expedit tutorem habere inimicum cum amicissimi dare soleant. Hodie tamen ob quamlibet litem etiã de una re excusatur tutor.

LXIX.

Quarto excusat numerus tutelarum, quas quis administrat. Tria enim onera tutelarum vacationem præstant, quamdiu administrantur: hic tamen plurium pupillorũ tutela, uti fratrum, pro una computatur: quemadmodũ contra una tutela merito excusat, si tam diffusa & negotiosa sit, ut una pro plurib. cedat, nec numerus pupillorum, sed difficultas rationum conficiendarũ & reddendarum consideratur. Requiritur autem I. Ut tutelæ non sint adfectatæ, si enim adfectaverit tutelam non excusatur, quia sibi ipsi onus acquirit. II. Ut eo tempore quo tutor allegat causam, excusanti tres tutelæ sint: nam si priusquã allegat causas unus pupillorum decesserit, non excusatur, nisi adhuc sustineat periculum cessationis. Si vero una die duæ creationes in diversis chartis proponantur, non qui creatus est, sed qui creavit eliget, quam oporteat eam suscipere.

LXX.

Quinto excusat impotentia administrandi, quæ consistit. I. in paupertate, si quis injuncto oneri se imparẽ possit docere. Nam durum & crudelitati proximũ esset alijs prodesse cum suo incommodo, nec afflictio est addenda afflictio, præsertim cũ id fieret contra utilitatem pupilli, quæ in tutelis semper spectanda: Si tamen ad tutelã idoneus sit, excusari non debet.

LXXI.

Impotentia. II. consistit in adversa valetudine tam

COL-



corporis quam animi, quæ excusat non solum à susci-  
pienda, sed & à suscepta tutela. Requiritur autem. I. Ut  
morbus sit talis, propter quem ne suis quidem negotijs  
supereffe quis potest: Si vero nihilominus tutelam ad-  
ministrare possit, non excusatur. II. Ut quis perpetuo  
morbo laboret, nam si quis ita ægrotus sit, ut oporteat  
eum non omninò dimitti à tutela, in locum ejus cura-  
tor dabitur, & sanatus recipiet rursus tutelam.

LXXII.

Impotentia III. consistit in ætate. Major enim 70.  
annis se potest excusare à tutela, & merito: Semper e-  
nim in civitate nostra senectus venerabilis fuit, & ma-  
jores nostri penè eundem honorem senibus quem ma-  
gistratibus tribuebant. Necesse est autem, ut major sit,  
itaq; qui ingressus est 70. annum, hac vacatione non u-  
retur, quia non videtur major 70. annis esse, qui 70. an-  
num agit, Minores etiam 27. annis olim excusabantur,  
hodie vero prohibentur ad tutelam adspirare, adeo ut  
nec excusatione opus sit.

LXXIII.

Impotentia IV. consistit in imperitia: Ii enim, qui  
litteras (pingere) nesciunt, sunt excusandi, nisi possint ad  
administrationem tutelæ sufficere. Idem de rusticis  
dicendum, si & illi huic oneri impares sint.

LXXIV.

Sexto excusant inimicitia, si capitales fuerint cum  
patre pupillorum, nisi reconciliatio intervenerit: Si ve-  
ro ob inimicitias tutorem dederit testamento pater, is  
excusatur, si fortè ideo dat<sup>o</sup> sit, quia tutela perplexa est,  
ut supponatur debito vel negotijs, Huc pertinet is, qui  
status controversiam à patre pupilli passus est, & qui pu-  
pillo de statu controversiam movet, si id non calumnia  
sed bona fide faciat.

D 2

Septi-



## LXXV.

Septimò excusat militia, quæ duplex est; vel Christi, vel hujus seculi. Milites Christi sunt Clerici, qui omnes immunitatem à tutelâ habent, sed possunt (exceptis tamen episcopis & monachis, qui omninò, etiam volentes prohibentur) nonnunquam esse legitimi tutores, modò intra quatuor menses, ex quo vocati sunt, apud judicem competentem in scriptis declaraverint, talem administrationem propriâ voluntate se suscepisse.

## LXXVI.

Milites hujus seculi, qui actu militant, nec volentes admittuntur; Veterani verò, qui honestè compleverunt militiæ tempus, à tutelâ paganorum, non tamen à tutelâ filiorum commilitonis, nisi saltem ad annum dimissionis, excusantur, sanè à commilitonis nepotum tutelâ rectè excusantur.

## LXXVII.

Excusantur quoque Jurisperiti, qui sunt Consilarii Principis, vel qui Romæ sunt professores legum. An verò Professores Legum in Academiis docentes à tutelâ sint immunes, in ipsa disputatione videbimus. Excusantur etiam à tutelâ Grammatici, Sophistæ Rhetores & Medici, qui has artes vel in patriâ, vel Romæ exercēt, quod tamen de Medicis *quod dicitur*, seu circulatorib<sup>9</sup> aut quod potius malo circuitoribus, non de iis, qui sedentarii sunt, & in umbrâ studia Medicinæ exercent, exaudiendū esse monet Cujacius. Requiritur in super. I. Ut decreto Magistratus inscripti sint numero concessō; nisi fortè valde disciplinis instructi, tunc enim, etsi supra numerum sint, & in alienâ patria moram faciant, sunt immunes. II. Ut circa operationem negligenter se non habeant.

Sequit-



## LXXVIII.

Sequitur post causas modus proponendæ excusationis. Proponenda autem & omninò alleganda est ab iis, qui habent, alioquin non poterunt tutelam effugere: Et si plures habeant excusationis causas, & de quibusdam non probaverint, aliis uti intra tempora constituta non prohibentur. Sunt autem tempora hæc: Qui in civitate sunt, ubi creantur, vel intra 100. lapidem, ii intra 50. dies continuos se excusant, & postea, nō admittuntur, sed tenebuntur ad sollicitudinem. Qui verò supra 100. lapidem absunt, 20. milliaria habebunt numerata in unamquamq; diem, à qua cognoverint se tutores datos, & extra hos alios 30. dies habebunt ad excusationem. Hoc v̄ro si ita strictè observetur, contingere potest, ut deteriori ordine essent, qui longius habitant, ijs qui intra 100. milliaria sunt, vel in ipsa civitate, si utiq; his semper dies 50. sint, illis vero pauciores: Ut si 160. milliariibus absint, ijs ex computatione, 38. dierum spatium tantum habebunt, quod iniquum. Proinde hoc ita oportet observari, ut nunquam minus tutoribus detur 50. dierum spatium, tunc autem longius, cum annumeratio dierum, qui in viam computantur, adjectis 30. diebus, quos ad excusationem lex dat, excedit 50. dies. Hoc autem 50. dierum spatium tantummodo ad excusationum causas contestandas pertinet, peragendo enim negotio ex die nominationis continui 4. menses constituti sunt.

## LXXIX.

Excusatio quoq; probanda est: quod si quis falsis allegationibus tutelæ excusationem meruerit, non est liberatus onere tutelæ, sed periculum, ex quo tempo-



re datus est, ad eum pertinet. Nemo enim doli sui praemium  
ferre debet.

LXXX.

Tantum de modis quibus tutela suscipienda impeditur, sequuntur illi, quibus suscepta finitur. Hoc autem fit varijs modis. I. Pubertate, quando pupilli puberes esse caeperunt: Pubertas vero in masculis post 14. annum statim initium capit, faeminæ post 12. annum viripotentes esse censentur. Finita hoc modo tutela tutor admonere debet pupillum, ut sibi petat curatores, alias si ex ipsius negligentia damni quid passus sit pupillus, tutor tenetur. Hodie tamen ex generali ubiq; locorum recepta consuetudine praesertim in Germania tutores etiam curatores permanent, adeoq; rebus minorum usq; ad majorem aetatem puta ad 25. annum praesunt.

LXXXI.

Secundo morte finitur tutela: Mors enim omnia solvit, & quidem morte pupilli omnimodo, cum nulla superfit persona, quæ defensione amplius indigeat. Morte vero tutoris quoad ipsius personam tantum, nec transit administratio tutelæ ad heredes, cum illa sit personale munus, personalia autem cum persona extinguantur: Interim tamen pupillus alium tutorem accipit.

LXXXII.

Tertio finitur tutela capitis diminutione pupilli sive maxima, quia tutela est liberorum: sive media, quia deportatione amittitur civitas, & proinde tutela, quæ juris civilis est, finitur: sive minima, per illam enim is, qui sui juris erat, fit fili<sup>9</sup> fam. qui non est in tutela, sed patria potestate. Tutoris vero maxima vel media, per quam civitas & libertas amittitur: Minima vero capitis diminutione legitima olim tutela peribat, sed sublata inter agnatos & cognatos differentia, nulla videtur hodie amplius tolli minima capitis diminutione.

LXXXIII.

Quarto finitur captivitate tutoris & pupilli, non ta,



men omnimodo, sed ad tempus tantum. Nam si pupill<sup>us</sup>, qui ab hostib<sup>us</sup> captus est, intra pubertatis annos redeat, relabitur iterum in tutelam: Si tutor vero captus sit, in locum ejus tutor datur, qui desinit esse tutor, si is, qui captus est, in civitatem reversus fuerit, tunc enim recipit tutelam jure postliminii.

LXXXIV.

Quinto finitur certo tempore, quando tutor ad certum tempus testamento datus est, tunc elapso tempore finitur tutela, & in ejus locum surrogatur alius tutor. Item conditione, quando ad certam conditionem datus est tutor, qua existente desinit esse tutor, & hac in parte defuncti voluntas est servanda, qui datum diutius tutorem esse noluit.

LXXXV.

Sexto finitur tutela suspecti remotione, quæ ex lege 12. tabularum descendit. Possunt autem omnes tutores fieri suspecti, sive testamentarij sint, sive legitimi, sive dativi, imo etiam patronus, cujus tamen famæ parcendum est, licet ut suspectus removeri possit, itaq; optimum factu est, ei potius curatorem adjungi, quam eum cum notata fide & existimatione removeri.

LXXXVI.

Suspectus autem est, qui moribus talis est, ut suspectus sit, & qui non ex fide tutelam gerit; Ut I. Qui per fraudem res veritas sine decreto distrahit. II. Qui inconsideranter vel dolo pupillum abstinuit hereditate. III. Qui pupillum defendere recusat. IV. Si tutor in administratione constitutus copiam sui non faciat, ut pupillo alimenta decernantur, & edictis evocatus non compareat. V. Si quis præsens neget ob inopiam alimenta pupillo decerni posse, si hoc per mendacium dicat: Et generaliter, si qua justa causa judicem moverit, cur non debeat tutor in tutela versari, removere eum debet. Imo, si fraudulentè administret, etiamsi satis offerat, removendus est,



quia satisfactio tutoris malevoluntatem animum non mutat,  
sed diutius grassandi in re familiari facultatem præstat,  
& melius est rem pupillo salvam manere, quam incertum  
cautionis eventum præstare.

LXXXVII.

Nonnunquam & hi non tantum remouentur à tu-  
tela, sed etiam à magistratu puniuntur. I. Si quis præsens  
neget ob inopiam pupillo alimenta decerni posse, &  
hoc per mendacium dicat. II. Qui data pecunia ministe-  
rium tutelæ vel acquisiuit, vel redemit, vel præmio acce-  
pto operam dedit, ut non idoneus tutor pupillo dare-  
tur: vel consultò circa edendum patrimonium quanti-  
tatem minuit: vel evidenti fraude bona pupilli aliena-  
vit. Hi enim ob malè gestam tutelam graviori animad-  
versione indigent, quam ut sufficiat eis suspectorum in-  
famia. III. Libertus, qui fraudulentè tutelam filiorum  
vel nepotum patroni gessisse probatur: nam libertus  
quanto majus beneficium à patrono accepit, tanto ma-  
gis ei devinctus est ad obsequium & reverentiam, ergo  
merito eò gravius punitur, si quid in patronum patro-  
niq; liberos deliquerit.

LXXXVIII.

Finita his modis tutela, tutores rationes reddere  
tenentur, jure civili post pubertatem: Hodie vero tutor  
ad requisitionem magistratus quolibet anno suæ admi-  
nistrationis sufficientem rationem reddere de-  
bet. Idem & de Jure Canonico consti-  
tutum est.

SOLI DEO GLORIA.











men omnimodo, sed ad tempus tantum  
qui ab hostib<sup>9</sup> captus est, intra pubertate  
relabitur iterum in tutelam: Si tutor  
locum ejus tutor datur, qui desinit esse  
captus est, in civitatem reversus fuerit  
pit tutelam jure postliminij.

#### LXXXIV.


Quinto finitur certo tempore, qua  
tum tempus testamento datus est, tum  
finitur tutela, & in ejus locum surroga  
tem conditione, quando ad certam co  
est tutor, qua existente desinit esse tu  
defuncti voluntas est servanda, qui da  
rem esse noluit.

#### LXXXV.

Sexto finitur tutela suspecti remoti  
12. tabularum descendit. Possunt aute  
fieri suspecti, sive testamentarij sint, sive  
dativi, imo etiam patronus, cujus tan  
dum est, licet ut suspectus removeri  
num factu est, ei potius curatorem ad  
eum notata fide & existimatione re

#### LXXXVI.

Suspectus autem est, qui moribus  
sit, & qui non ex fide tutelam gerit; U  
res veritas sine decreto distrahit. II. Q  
vel dolo pupillum abstinuit hereditate  
defendere recusat. IV. Si tutor in ad  
stitutus copiam sui nō faciat, ut pupi  
nantur, & edictis evocat<sup>9</sup> nō compari  
sens neget, ob inopiam alimenta pupi  
si hoc per mendacium dicat: Et gene  
causa judicem moverit, cur non deb  
versari, remove eum debet. In  
administret, etiam si satis offerat,



pill,  
deat,  
sit, in  
, qui  
reci-

d cer-  
pore  
or. I-  
datus  
parte  
tuto-

x lege  
atores  
sive  
arcen-  
opti-  
n eum

spect<sup>9</sup>  
fraude  
ranter  
pupillū  
e con-  
decer-  
is præ-  
posse,  
ta justa  
i tutela  
valenter  
sus est,